

N. F. 26



DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM,
in qua

**OBSERVATIO-
NES BIBLICÆ,**

*Mense FEBRUARIO emissæ, modeste
sub examen vocantur,*

Et D. LUTHERI Versio defenditur,

PRO LOCO,

In Amplissima Facultate Philosophica

benevole sibi concessa,
solenni eruditorum disquisitioni subiicit

PRÆSES

M. JO. HENRICUS Knoblauch /
WITTEBERGA-SAXO, *al.*

RESPONDENTE

M. JO. CHRISTIANO Wundermann /
BUDISS. LUSAT.

D. XXI. Novembr. Anno M DC XCV.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,
Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

ILLUSTRI ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO,
DOMINO
CHRISTOPHORO
FRIDERICO
a Bersdorff /

Serenissimo atqve Potentissimo Saxoniae
ELECTORI a Consiliis Legationum & supremi Provoca-
tionum judicii Electoralis, Domino in Kauppa/
Zehscheba & Wolbriz etc.

Domino meo Gratosissimo,

hoc Academicæ diligentiae specimen
sacrum esse cupit

Illustrissimi atq; Generosissimi Nominis ipsius

Cultor humillimus

M. Joannes Christianus Sundermann.



Sunquam sacras literas feliciter quispiam interpretatus est, atque utriusque foederis libros in vernaculam linguam nostram perspicue transtulit, certe D. Lutheri propria hæc laus est, in quo nescio utrum divinam mentis vim, an accuratam linguarum notitiam atque integram fidem, an vero incredibilem solertiam potius

admirer atque deprædicem. Nam quanto studio, quantaque industria versionem suam confecerit, vel inde iudicare quilibet potest, quod sæpius in hoc labore cum Melanchthone 14. dies in unius vocis aut lineolæ interpretatione hæserit, teste Frehero in *Theatro Virorum eruditione clarorum Part. I. Sect. III. p. 121. Adde Franzium in Præfat. de Interpret. Scripturae S. p. 26. sqq.* Hinc mirum non est, Viris doctis atque cordatis hanc versionem ita probari, ut illam proprietate ac perspicuitate reliquas omnes vincere iudicent, quorum testimonia coacervare nunc superse-
deo. Vid. summi Theologi D. Pfeifferi *Critica s. p. 473.* Nilominus tamen iam pridem iste livor multos vexavit, ut Luthero præclari interpretis laudem ac gloriam detra-
ctam cuperent, eosque impedivit, ne agnoscerent, quam singulari DEI beneficio hæc sacri Codicis Germanica versio debeat. Etenim si annalium replicamus memoriam,



constat, Novi foederis versionem, quam in Pathmo sua
primum Lutherus confecerat, Georgio, Saxoniae Duci,
Pontificiorum monitis ac superstitioni valde obnoxio, a-
deo invifam fuisse redditam, ut non solum subditos suos
ejus lectione prohiberet, sed Emsero etiam hoc negoti-
um, cui par ille prorsus non erat, daret, ut novam ipse
Novi foederis versionem cuderet. Verum haec æmulatio
Lutheri laudibus officere non potuit, sed eas maxime
auxit atque illustravit. Nam in paucis illis locis, ubi a Lu-
theri versione recessit, Emserus inepte Græcum textum
reddidit: in reliquis vero omnibus totam illam exscripsit,
testante id Lutero ipso *in epistola quadam ad Wencesla-
um Linckium, quæ Germanice extat Tom. III. Altenb. p. 268.*
Quam indignis porro ac tetrīs calumniis Eccius, Cochla-
us, Gretserus atque omnes Pontificii Doctores hanc ver-
sionem atque ipsius auctorem oneraverint, non opus est,
ut prolixè nunc exponam, quas universas Maimburgius
contraxit, cujus tamen maligna iudicia egregie refellit
illustris Seckendorffius *Comment. de Luth. Lib. I. §. CXXV.*
p. 204. apud quem Maimburgii etiam verba latine versa
extant *sect. 51. p. 203.* De Reformatorum mente, in Luthe-
ri versionem sæpe parum æqua, nihil iam commemoro,
quorum suggillationibus satisfecisse Gerhardum *in Exeg.*
l. 1. sect. 6. §. 521. sqq. Hülsemannus iudicat *in Praelect. Form.*
Conc. Art. I. c. VI. p. 238 Vindic. Script. S. Illos saltem appello,
qui non modo frivolis ac intempestivis Observationibus
suis Lutheri versionem interpolare satagunt, sed ex a-
liorum etiam scriptis corradunt atque confarcinant, quæ-
cunque ad minuendam hujus versionis proprietatem ac
perspicuitatem facere ipsis videntur, parum curantes,
quod invitis autoribus hæc subtrahant; annon hi quoque
Lutero accurati interpretis laudem invident? Fecit istud
DN. M. HERMANNUS AUGUSTUS Franc. Gr. &
Or. Lingg. apud Halenses Pr. Ord. & Pastor Glauchensi-
um, qui in titulo, quem JUNIO suo præfixit, ultra tre-
cen-

centa loca, a Theologis & Philologis, Sauberto inprimis
& DN. Dassovio LL. Or. in hac Academia Pr. Publ. cele-
berrimo, in Lutheri versione emendata, lectori in hu-
jus mensis congerie visenda spondet. Sed quam parum
gratia a D. Fabricio, qui Sauberti Opera posthuma edidit,
iniverit Observator, quod hujus observationes Germani-
ce indoctis legendas exhibuit, ex Præfatione operibus
hisce præfixa satis apparet. Ita enim ille ibi scribit: *In suggestu
fateor, abstinere poteris ab ista crisi, aut non nisi caute & recte
eam adhibebis, cum alicui scandalum daturus sis simpliciori-
bus, & pariter offensurus eruditos ac prudentes.* Si itaque in
suggestu ab ista crisi abstinendum esse iudicat, multo
minus ipsi placebit, simplicioribus istam in vernacula lin-
gua exponi. Quantum vero DN. Dassovius ab Observa-
toris sententia abhorreat, ex *amica Epistola* intelligi po-
test, in qua illum monet, ne auctoritate atque collegiis
ipsius ad stabiliendam causam suam perditam abuti per-
gat. Sed quam vellem M. HERMANNUM AU-
GUSTUM Francken non majoris culpæ reum esse,
nec per famosum libellum causam suam non bonam peio-
rem reddidisse! Epistola certe, in qua nuper tenebrio
quidam institutum meum carpere, atque conviciis me
laceffere voluit, in ipsius gratiam atque ad ejus auctori-
tatis defensionem conscripta est; ad quam ut quicquam re-
spondeam, nemo prudens vir a me expectabit, cum
mendacia atque calumniæ infamiam & auctoribus & im-
pulsoribus suis concilient, nec seculum ferant, sed o-
mni expectatione citius evanescant & extingvantur. Re-
liquorum vero hominum iudicia ac perversas opiniones
non curo. Auctor potius sum misero isti homini, qui
tam irrita conatu Observatoris defensionem suscepit, ut
Anticyras naviget, quo tandem sanam mentem, si un-
quam habuit, recuperet, quam sirium nimio influxu suo
plane evertisse luculentus *epistola* testis est, qua meliorem
atque magis veracem intra dies caniculares d. VIII. O-
ctobr.

Etobr, st. v. scribere non potuit. Argumentum emotæ
mentis, prætermulta alia, illud certissimum est, quod vi-
rum doctum atqve eruditum esse judicat calumnia-
tor, qui multas veritates novit, easqve ad publicam im-
pendit utilitatem, licet vocem *Mensa* per casus flectere
nesciat. Nonne enim rustici multas noverunt veritates,
easqve ad publicam utilitatem convertunt? quis vero un-
quam doctis atqve eruditis viris jungere eosdem ausus
est? Nicolaus ille notissimus morio, vulgo etiam co-
gnitus, & fatuus Tychonis de Brahe famulus, nomine
Lep. multas quoque veritates tenuerunt, atqve ad pu-
blicum emolumentum eas impenderunt: & hos pocul du-
bio *Epistola* auctor doctos ac eruditos viros salutabit,
quandoquidem ad ipsorum numerum atqve censum ipse
etiam pertinet. Neutiquam igitur stolidus homo me per-
movere poterat, ut ipsi irascerer, etiamsi me pluribus ac
majoribus adhuc conviciis proscidisset. Nam pridem de-
tectæ novæ pietatis larva est, quæ sibi non constat, nisi per
convicia propagetur. Illud saltem adversus Observatorem
urgeo, quod vel conscio atqve annuente ipso hæc episto-
la edita sit; vel præter illius voluntatem, atqve in scio ipso
famosum istum libellum haud ingeniosus nequam pro-
mulgaverit. Si prius factum est, graviter omnino ad-
versus publici Professoris & probi Pastoris decus atqve
officium peccavit Observator, & quam invitus victo-
ria mihi cedere cogatur, satis aperte ostendit. Sin au-
tem criminis illius expers credi atqve haberi cupit, non
aliter a tam gravi suspitione se liberare poterit, nisi ob-
scurum epistolæ istius auctorem in lucem protrahat, il-
lumque publice confutet, qui tam nefario ausu famam
ipsius lacerare, atqve probis omnibus & honestis viris
suspectam reddere non dubitavit. Semper enim illius
fama jacturam patitur majorem, qui calumniis atqve
conviciis defenditur, quam qui istis oppugnatur. Ne
autem nimis diu hisce rebus immoratus videar, quæ
Obser-

Observatoris existimationem tam graviter lædunt: ad Fe-
bruarium nunc accedam, quem in præsentî Dissertatione
examinare constitui, & quam leves atque inanes Obser-
vationes illæ sint, quæ hoc mense prodierunt, exponam.
Quum enim Observator totus in eo sit, nec aliud quic-
quam agat, nisi ut Lutheri versionem multiplicis erro-
ris arguat, tantum suæ laudi accedere arbitratus, quan-
tum de illius gloria detraxerit: nemo, credo, vir bonus
& qui ex Lutheri incommodis magnam capit molestiam,
vitio mihi vertet, quod non minorem industriam in Lu-
theri gloria vindicanda ponam, quam ipse in oppugnanda
illa collocavit. Nam Lutheri versionem merito omnes
ingenui ejus asectæ venerantur ac suspiciunt, non eam
quidem ob causam, quod Lutheranae factionis studio
trahantur, uti P. Richart Simon odiose illos accusat *Crit.*
S. V. Test. Lib. II. cap. XXIII. p. 129. sed quia meliorem ista
huc usque nemo edidit, nec edere etiam poterit, & quia
Lutherus primus fuit, qui juxta fontes sacrum Codicem
in vernaculam linguam elegantissime convertit. Licet
autem facile augurer, quantum invidiam, quantumque
odium apud illos homines susceptus hic labor meus mihi
iterum conflaturus sit, qui ab Observatoris, quam Luthe-
ri partibus stare malunt: illorum tamen obrectationes
adeo non horreo aut reformido, ut eo feliciter pro Lu-
theri gloria me propugnasse crediturus sim, quo plura
& atrociora convicia, quæ sola ipsis arma relicta sunt,
in me ab illis spargentur, & quo majori odio istud ho-
minum genus me prosequetur. Quid enim mirum est,
eos veritatem odisse, qui calumniandi impetu ita in ho-
mines innoxios feruntur, ut honestatem deserere atque
omnem exuere pietatem non vereantur, si modo ad-
versariis suis illudendi, atque ipsorum famam arrodendi
spes, licet vana, quædam illis affulserit? Obiiciant itaque
mihi vesani isti homines rixandi libidinem, contemnant
meam ætatem; accusent me ambitionis: haud tamen
illo-

illorum minæ atqve convicia, adversus quæ animum prorsus obfirmavi, me movebunt, ut justam causam deseram, atqve ab instituto meo vel latum ungvem discedam. Nam hac in re cum sapienti Agrigentinorum Rege mihi convenit, qui ad Xenopeithen ita scribit: ἔκαστος τῶν διαβολῶν, ἢ τῶν δοξῶν, αἷς ἔχουσιν ἐφ' ἡμῶν οἱ μὴ δικάως κατηγοροῦντες; Ep. XXIX. nec parum me confirmavit elegans Luciani dialogus περὶ τοῦ μὴ ῥαδίως πιστεύειν διαβολῇ *de non temere credendo calumnia.* Illud saltem dolendum est, eos adeo duro ac pervicaci esse animo, qui pietatis studium maxime jactant, ut quamvis errores suos satis edocti sint, tamen se errasse nolint, sed omnem potius moveant lapidem, ut Lutheri versionem apud imperitum vulgus plurimorum errorum accusent, quo saltem ipsis auctoritas sua salva persistet atqve incolumis. Quod reliquum est, institutum meum ita exequar, ut immoderato affectui nihil indulgeam, nec a proposito meo unquam digrediar, quo fateri Observator cogatur, se Lutheri versionem maximam vim intulisse, nisi omnem pudorem atqve verecundiam plane consumserit.

OBSERVATIO X.

Eph. I. v. 12, 13, 14.

Hic 1) in Lutheri versione vocem *etwas* abundare male judicat Observator, propterea quod in Græco textu illa non occurrat. Quoniam enim D. Lutherus Græcam phrasin εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἕσπαινον τῆς δόξης αὐτῆς optime exprimere studuit, non potuit non vocem illam *etwas* usitatæ Germanis loqvendi formulæ adjicere, quo aperte magis Apostoli mens Germanis pateret, quam Observator non tantum obscurat, sed plane etiam pervertit, Nam ex ipsius versione Auf daß wir wären / zu lob seiner Herrlichkeit / die jentzen / so zuvor Hoffnung gehabt in Christo hic sensus emergit: eum in finem a DEO prædestinati sumus secundum

dum propositum ipsius, *ut in laudem gloriae illius' essemus*
isti, qui priores speravimus in Christo; quum tamen per τῆς
 προηλωτικότητας ἐν τῷ χριστῷ non finis, sed subiectum illius
 praedestinationis ἡμᾶς ab Apostolo determinetur, cuius
 finis ultimus ratione DEI est ipsius gloria. Vid. Gerbard.
 Tom. II. LL. c. III. §. 553. Hoc tam manifestum est atque
 perspicuum, ut ex primo Graeci textus intuitu quilibet
 facile cognoscere id possit. Hinc Erasmus recte ver-
 tit: *Ut simus nos in laudem gloriae illius, qui priores speravi-*
mus in Christo, nec aliter Beza: *Ut nos simus laudi gloriae i-*
psius, qui priores speravimus in CHRISTO, atque vulgatus
 interpres: *Ut simus in laudem gloriae ejus nos, qui ante spera-*
vimus in Christo. Quam usitatum quoque sacris Novi fœ-
 deris scriptoribus sit, tempus praesens praeterito invol-
 vere, ex Matth. III. 17. c. XXIII, 2. Luc. I, 47. 1 Cor. V. n.
 satis constat, quod nec apud profanos Graecos aucto-
 res raro observatur. Ita enim Demosthenes περὶ τεφάνης
 inquit: οἰκοδομῆσαι τὰς προγόνους ἡμῶν τὰ ὅσα τὰ δικαστήρια
 ὑπείληφα majores nostros existimo has curias edificasse, &
 Lucianus in Dialogo Martis & Mercurii: μέμνημαι γὰρ
 ἔτι πρὸ πολλῆς recordor non a longo tempore Vid. Seb. Pfo. he-
 nii Diatr. de Lingua Graeca N. T. puritate §. XXXII. Erasm.
 Schmid, de Dialectis Cap. XV. Reg. 39. Ut proinde haud in-
 congrue Lutherus τῆς προηλωτικότητας in praesenti tempore
 die wir hoffen enunciarit, praesertim cum subsequencia ver-
 ba id exegisse videantur.

2) In hisce vocibus commatis 13. ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαν-
 τες singulare quoddam pondus latere Observator autu-
 mat, quod tam grande tamen & grave non est, ut Lu-
 theri versionem suppressere possit. Nam ut Lutherus
 exhiberet, participium in verbum finitum convertit, in
 quo nihil contra accurati interpretis officium admisit. Et
 B quid

quid obstat, quo minus participium ἀκέραιος ad verbum ἑσφραγίσθη qveat referri, de quo Observator adhuc dubitat? Quo autem facto nec melius nec rectius a quoquam Græcus textus Germanice reddi potest, quam prout Lutherus eum convertit. Ad locum ex Balduini Commentario adductum quod attinet, cum eo ita se res habet. Magnus ille Theologus in commentario suo non ad strictum interpretem agere voluit, sed Apostoli sententiam pluribus verbis libere explicuit, neque Lutheri versionem, sicut Observator, alicujus arguit obscuritatis, neque peculiaris illius emphaseos ita meminit, ut in Germanica sacri codicis versione omissam eam judicaret.

3) Priora commatis 14. verba Observator, D. Speneri vestigia legens, parenthesi concludenda iudicat, quæ in nullo huc usque codice Græco comparuit. Quo jure itaque illa in Lutheri versionem possit inferi, quilibet iudicet, qui ex potestate non exiit.

4) Vocem ἀρραβῶν admodum significanter das Angelb se convertisse existimat Observator, D. Spenerum ducem iterum sequutus, atque asserit, proprie hac voce illam pecuniæ summam denotari, quæ in emtionis contractu statim exsolvitur fiducia causa. Non equidem nomini huic significatum istum denegaverim, quum Hesychius ita illud exponat: ἀρραβῶν, πρόδομα καὶ ἀγκισρον, atque apud Græcos hoc nomine etiam donum illud appellaretur, quod sponsa a sponso, tanquam pignus futurarum nuptiarum, accipiebat, cui in hoc sensu respondet vox ἔδνον s. ἔδνα item φερνὴ, τὰ ὑπὸ τῶν μνηστῆρων ταῖς μνηστευομέναις δίδόμενα apud eund. Hesych. Attamen vox ἀρραβῶν hic parum recte ab Observatore das Angelb redditur, ubi Apostolo non de emtionis alicujus contractu, sed de coelesti hæreditate sermo est. Quapropter recte Lutherus in versione sua vocabulum Germanicum das Pfand adhibu-

hibuit, quo commodius & magis proprium hic usurpari
nequit, ubi Spiritus S. ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν ap-
pellatur.

OBSERV. XI.

Eph. I, v. 20. cap. II, 1.

Quum in Lutheri verbis nihil Observator desiderare
posset, iterum parenthesi aliqua versionem ejusdem di-
stingvere annisus est, cujus tamen nec vola nec vestigi-
um in Græco textu cernitur. Sed quoniam integra fer-
me hæc Observatio alio, quam ad nostrum examen per-
tinet, nihil amplius hic monendum puto, nisi difficile
admodum fore, ut Observator illam textus cohærenti-
am, quam parentheseos ope conciliare studet, eruditis
approbet. Quomodo enim parentheseos notas eos om-
nes, qui in describendis sacri codicis libris operam
posuerunt, sefellisse evincet, quum minimam etiam *επιμῆν*
accurate observarint, atque in illis locis omnibus paren-
theseos cancellos animadverterint, ubi illos reppererunt?
Eph. II, 5. 8. c. III. 3. 4 Nolo tamen hic quicquam defi-
nire, quomodo textus cohærentia demonstrari queat, quia
illud

res est arbitrio non dirimenda meo.

Neque meum permittit institutum, ut latius evager, atque
in Theologiæ Exegeticæ fines excurram. Sufficit mihi,
quod Observator fateri coactus sit, Lutherum citata com-
mata optime vertisse. Parenthesi vero ejus locum prius
hic concedere nequeo, quam illam sibi veniam ab Apo-
stolo impetraverit.

OBSERV. XII.

Eph. II, v. 4, 5.

Admodum liberalem erga Lutherum se gerit Obser-
vator,

vator, dum illum hujus dicti præcipuum sensum at-
que ipsum rei caput bene expressisse largitur. At quia

Repente liberalis stultis gratus est,

Verum peritis irritos tendit dolos,

non alium in finem hanc Luthero laudem tributam esse
suspicio, quam ut in subsequentiis verbis eo magis
vapularet. Reperit enim Observator quasdam minuti-
as, in quibus ingenium exercere suum, & Græcæ Gram-
maticæ haud vulgarem cognitionem ostentare poterat.
Nam 1) particulam *διὰ* cum accusandi casu constructam
um non vero *durch* reddendam fuisse contendit, siqui-
dem ordinaria constructio id omnino exigat ac postu-
let. Atque huic Observationi inprimis ex auctoritate
Balduini atque Cocceii magnum robur conciliare studu-
it, asserens, ipsos particulæ significatum maxime atten-
disse, qui eam *propter* exposuerint. Verum non obser-
vavit Observator Balduinum Des. Erasmi versionem in
Commentario suo retinuisse, unde non tam Balduinus,
quam Erasmus particulam *διὰ propter* reddidit. Placuit
potius magno huic Theologo mentem Apostoli, quæ
ex adductis commatibus cognoscitur, ita in paraphrasi
sua primæ partis cap. II. Ephes. efferre: *DEUS autem, pe-
rennis ille fons misericordie ex mera misericordia, qua comple-
titur totum genus humanum, nostri misertus nos ex morte
peccati resuscitavit in vitam spiritualem, quemadmodum &
CHRISTUM resuscitavit ex mortuis, ubi certe particula pro-
pter non occurrit. Adde, quod Erasmus ipse in An-
notat. in Epistolam ad Ephesios ex cap. II. διὰ πολλὴν
per multam scil. charitatem reddiderit p. m. 418. Edit. Ba-
fil. M. DXIX. Neque apud Græcos auctores plane in-
solitum hoc est, ut ἀντιπρωτικῶς particulæ *διὰ* accusandi
casum jungant, ubi Genitivum postulare illa videbatur,
quod Eustathius docet in Scholis suis s. παραβολαῖς εἰς
τῆς Ο. Παύλου. τῆς Οδοσείας p. 1776. Lin. 46. edit. Rom. 1542.*

Hinc

Hinc Erasmus Schmidius etiam regulam formavit: *At-
tici & Poeta Prepositionem diā, quando PER significat, cum Accu-
sativo pro Genitivo construunt, de Dialectis c. XV. Reg. LXV.*
Possent hic Seb: Castalionis versionem adducere, quic-
tra particulam *propter* adhibitam sensum Græcæ oratio-
nis eleganter expressit: *Verum DEUS misericordia dives,
tanta nos charitate complexus est, ut, cum delictis essemus mor-
tui, revocaverit nos in vitam una cum CHRISTO, nisi sci-
rem, non omnibus illam eruditis versionem approba-
ri, propterea quod anxius nimis ac superstitiosus ferme
Ciceronis imitator Castalio fuerit, & a textus proprietate
non raro deflecterit. Vid. Kortbolts Tr. de Variis Scriptu-
ra Editt. p. 265. seqq. Hottingeri Bibliothec. Quadripart. Lib.
I. c. IV. p. 167. Gerb. Meieri Bibliothec. Theol. p. 192. Lau-
dant tamen eam P. Richard. Simon Lib. II. Critic. V. T. c.
XXI. p. 119. Andr. Hyperius, Frid. Furius Coriolanus,
Christoph. Carleilius, Laur. Humfredus. Vide *Judicia
doctorum Virorum de Bibliis Castalionis præfixa editioni Basil.
MD LXXIII.* Tandem vel hoc ad Lutheri versionis defen-
sionem sufficere hic potest, quod a Germanicæ lingvæ
indole non plane alienum sit, per particulam *durch* cau-
sam impellentem internam aliquando indicare. vid. Ps.
XXXI. 2. 13. Ps. LXIX, 15. Ps. LXXI, 2. Luc. I. 78. Quapropter,
nisi frontem perfricuit, de imaginato jure suo Gramma-
tico paululum decedet Observator, siquidem vix quis-
quam Lutherum causa cecidisse judicabit, qui Germani-
ca verba cum Græcis, utriusque lingvæ peritus, conferet.
Neque altioris est indaginis, quod Observator 2) monet,
copulam *et* in Græco textu obviam magnum pondus
hic sustinere. Patet enim satis aperte in Lutheri ver-
sione Apostoli sententia, & a quovis facile percipi po-
test. Procul dubio quoque Germani lectores exiguam
vim in voce illa *et* reperient, etiamsi illa Lutheri ver-
sioni tandem inferatur: doctos vero homines particu-
læ hujus significatum tamdiu ignorasse, donec eam Ob-
servator exposuerit, quis est, qui credat?*

B 3

Obfer-



OBSERV. XIII.

Ephes. II. v. 20.

Nescio, utrum Luthero potius de insigni hac felicitate gratuler, quod circa dictum hoc Observator in versione ipsius nihil carpere atque reprehendere potuerit; an vero ingentes huic agam gratias, quod singularem in voce *αὐτῶν* exploratam emphasim lectori invidere noluerit. Prius tamen in Observationis hujus momentum inquirere mihi licebit, quam ad alterutrum officium peragendum me accingam. Recte quidem Observator fatetur, nihil circa dictum præsens monendum esse; nam

Quiddam vitii quicumque hic concipit, errat:

At oppido fallitur, quando vocem *αὐτῶν* in Germanica versione plane omissam esse judicat, cui magnam vim Apostolum imposuisse dicit. Quum enim Græcum textum evolverem, statim cognovi, vocem illam *αὐτῶν* non tam ad subsequenda verba *Ἰησοῦ χριστοῦ*, quam ad præcedens nomen *θεμελίω* referendam esse, ut Apostoli sententia hæc sit: *superstructi estis super fundamento Apostolorum & Prophetarum, cujus summus angularis lapis est JESUS CHRISTUS.* Et quum sponte hic sensus ex Apostoli verbis fluat, Lutherus eum jure suo in versione Germanica expressit, voci *αὐτῶν* particulam *da* accurate reddens, quæ lectoris animum ad præcedentia verba *erbauet auf den Grund* revocat. Ita versio quoque Arabica apud Waltonum habet. *Qui extructi jam estis supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cujus lapis angularis est persona JESU CHRISTI.* Ut adeo Lutherus præter meritum accusetur, quod vocem *αὐτῶν* in versione sua omiserit; nec prius gratiarum actionem a me Observator expectare possit, quam assertionem meam destruxerit.

Obser-

OBSER. XIV.

Eph. III, v. 14, 15, 16, 17, 18, 19.

Mire hic se torquet Observator, atque omnes mentis suæ nervos intendit, ut Lutheri versionem in ordinem cogat, novaque ipsi pondera appendat, quæ tamen nullius sunt momenti, & quorum levitatem mox ostendam. Varias quippe in hoc textu convertendo difficultates occurrere professus, ab instituto, more suo dilabitur, & in eruenda textus coherentia admodum occupatus est, ut plura scilicet lectori exhiberet, quam in titulo promiserat. At si commentarium in Pauli epistolas animo suo conceperat Observator, cur Observationes edidit? si autem Observationes conscribere maluit, cur tam prolixè in aliquot saltem versus commentatur? Quanta porro hæc est audacia, quod iterum tot commata parenthesi prorsus enormi concludere conatur, quot inter primum atque decimum quartum hujus capituli interiacent? Nullum probatum auctorem Observator allegare poterit, qui tot, tantasque parentheses in aliquod orationis corpus immittendas esse judicaverit, quot, quantasque huic Pauli Epistolæ obtrudere, atque hac ratione perspicuum sermonis tractum obscurare ipse studuit. Quintilianus certe, haut spernendus Rhetor, de junctis atque frequentibus in sermone interpositionibus non præclare admodum sentit: *Habent hæc Schemata,* inquit, *ωρεσίθεσις Et μετάθεσις, quandam ex illa vitii similitudine gratiam, ut in cibus interim acor ipse jucundus est. Quod continget, si neque supra modum multæ fuerint, nec ejusdem generis, aut junctæ, aut frequentes, quia satietatem ut varietas earum, sic raritas effugit. Instit. Orat. Lib. IX. c. 3. p. 516. Edit. Basil. M D LXXXI.* Absit proinde, ut hoc sermonis vitium Pauli epistolis affingamus; aut Observatoris

toris subscribamus iudicio, qui affirmare haut veretur, illud in Pauli epistolis frequens esse ac usitatum. Quod si vero semel mihi liberum emendandi arbitrium occupare, atque tali erga Observatorem libertate uti licet, qualem ipse sibi toties in Pauli Scripta sumsit licentiam, integram hanc Observationem a p. 153. usq; ad mediam paginam 161 in unius atq; continuæ parentheseos cancellis includendam esse statuo. Post longam enim verborum circuitionem, & varios sententiarum anfractus, res tandem eo redit, quod comma 14. cum 15. perspicue magis reddi nequeat, quam prout Lutherus vertit. De voce πατριὰ quicquid in medium affertur, id uno verbo Hesychius expressit: πατριὰ, Φυλή. in quo significato etiam apud LXX. interpretes illa extat Exod. XII, 3. cap. IV, 14. Svidastamen plures voces idem, quod πατριὰ, significantes conjungit: πατριαί. χώραι. φύλαι. παρχιαί. D. Lutherus autem, ut lectori consuleret, sensum exprimere voluit, quem hac voce Paulus indigitavit: quod & commode satis præstitit, verba hæc ἐξ ἑ πάσα πατριὰ ἐν ἐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται ita germanice enunciatis: Der rechte Vater ist über alles/ was da Kinder heisset/ im Himmel und auf Erden. Quando vero ineptam interpretationem suam Observator subiicit,

Nil, nisi voces jactat inertes,

Dat sine mente sonum.

Quis enim Germanorum hanc loquendi formulam probabit, *Gemeinschaft am Vater haben?* aut quis unquam de patre & ingenua ac legitima ejus prole hujusmodi verbis usus est? Præterea nescio, quas familias seu Geschlechter/uti vocem πατριὰ proprie ex Stephani Lexico interpretari didicit, in cælis sibi fingat Observator? Nam latere ipsum haut putaverim, quod familiam non paterna saltem societas constituat, sed cum herili conjugalis quoque ad eius constitutionem requiratur. Anne vero Observator statu-

statuit, quod Angeli in cœlis etiam matrimonia contrahant? Nusquam fane, quantum mihi quidem indagare licuit, Angeli in sacris literis in familias distribuuntur; in Lutheri certe versione nusquam iis Geschlechter affignantur. Hoc autem neminem fugiet, qui in sacra scriptura non plane hospes est, angelos subinde filios DEI Kinder Gottes a Sacris Scriptoribus appellari. Job. I, 6. c. II, 1. c. XXXIX. 7. Jam intelliget, credo, Observator, cur Lutherus Græcum textum ita converterit: Welcher der rechte Vater ist über alles/ was da Kinder heisset im Himmel und auf Erden/ quod antea minus percepisse, aut saltem non attendisse videtur; nimirum, ut incongruum hunc evitaret sensum, qui ex Observatoris versione enascitur. Nam Lutherus quoque optime novit, vocem *τάρπια* aliquando reddi posse ein Geschlecht/ sicut eam interpretatus est. Luc. II. 44.

At quum vocem hanc Germanicam præfenti loco caliginem inducere perspiceret, eam adhibere noluit, a qua proinde & Observator abstinere debebat. Neque enim una vocis significatio omnibus locis congruit, quod Augustinum exemplo vocabuli *fermenti de Doctrin. Christ. Lib. III. c. 25.* probare, docet Hundius *Disp. IV. de Verbo DEI p. 120.* neq; optimi interpretis est, singula ubiq; vocabula in primo suo reddere significato, sed genuinum potius scriptoris sensum in versione exprimere. Hinc Emseri argutias etiam Seckendorffius merito explodit, qui vocem *ἐπίδοσις*, quæ Matth. VI, 11. legitur, *überselbst ständig* reddidit, quam Lutherus täglich verterat. *Comment. de Luth. Lib. I. Sect. 52. §. CXXVII. p. 208.*

Pergo ad comma 16. in quo Græca verba *δυνάμει εργαται* occurrunt, quæ Lutherus vertit *starck zu werden*, quod male Observatorem habet, qui vocem *δυνάμει* in versione Germanica omiffam esse queritur, ideoq; priorem Lutheri versionem propius a Græco textu abesse iudicat. Sed Lutherus optime intelligens, neminem absque viribus

C

bus



bus ac robore corroborari posse, pleonasmum illum Ebra-
is ac Græcis, vid. *Henr. Stephani Dissert. de Stylo N. T. paulo
ante finem.* usitatum, Germanorum vero auribus minus
acceptum, in versione sua retinere noluit, quoniam Pauli
mentem simplex verbum stark zu werden satis exprimebat.
Ita locum I. Sam. XXVI, 25 ubi LXX. Interpretes Ebræum
textum reddiderunt: καὶ ποιῶν ποιήσεις, καὶ δυνάμεν & δυ-
νήση Lutherus simpliciter vertit: Du wirst thun und hinauf-
führen. Item Ebr. VI, 14. εὐλογῶν εὐλογήσω σε, καὶ πληθύ-
νων πληθυνῶ σε Ich will dich segnen und vermehren.

Quæ circa comma 17. monentur, Lutherum non fe-
riunt. Veruntamen hic rationem reddere oportebat
Observatorem, cur hoc comma ipse ita verterit: (Daß
Christus durch den Glauben wohne in eurem Herzen) damit
Ihr durch die Liebe eingewurzelt und gegründet recht mächtig
sehd zu begreifen. Nam 1) in Græco textu nulla occurrit
Parenthesis. 2) τελείαν σιγμὴν plane negligit Observa-
tor, atque ex commatibus duobus 17. & 18. unum facit,
ac si Paulus scripsisset: κατοικῆσαι τὸν χριστὸν διὰ τῆς πί-
στεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἵνα ἐν ἀγάπῃ ἐρριζομένοι καὶ τεθε-
μελιωμένοι ἐξισχύσητε καταλαβεσθαι, quum tamen in omni-
bus exemplaribus ita verba legantur: κατοικῆσαι τὸν χριστὸν
διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἐν ἀγάπῃ ἐρριζομένοι καὶ
τεθεμελιωμένοι. ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβεσθαι. Nec possum
hac in re Bezae assentiri, qui per violentam traiectionem
particulam ἵνα explicare vult, atque participia hæc
ἐρριζομένοι καὶ τεθεμελιωμένοι cum sequente verbo ἐξισχύσητε
coherere putat, licet Nihufio hæc probetur in *Ippodigm.
sect. II. p. 77.* Magis placet ea loco huic applicare, quæ
ad comma 5. cap. 1. Apoc. Beza annotavit. Καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ,
χριστοῦ, ὁ μαρτύς ὁ πιστός, ὁ πρωτότοκος & ἐκ νεκρῶν, καὶ ὁ ἀρχῶν
subauditur ὅς ἐστιν ut apud Hebræos subintelligi solet רִשׁוֹן. Ita
enim, si hic quoque subaudias ὅτινές ἐσε, sensus optime
fluit, nec ulla traiectione opus est.

Acce-

Accedo nunc ad comma 18. in quo verba hæc extant:
ἵνα ἐξισχύσητε λαβεῖν, quæ Lutherus vertit: *Daß ihr begreiffen möget / Observator autem ita: Auf daß ihr die Krafft und das Vermögen habt / oder recht mächtig seyd zu begreiffen.* Cui potius assentitur æquus lector, Luthero an Observatori?

Tandem aureum hoc dictum, quo nomine illud Observator ipse appellat: *Erkennen / daß Christum lieb haben viel besser ist / denn alles Wissen* ex Lutheri versione expungere conatur, quod gravissimi Theologi tamdiu in ea tolerarunt, quandoquidem nec citra præviam meditationem ac rationem sufficientem a Luthero istud ita conversum est, qui non minus, quam Observator, Græca verba intellexit, quod ex priori ipsius versione satis cognoscitur. Suffragatur etiam Luthero Balduinus in hujus loci paraphrasi: *Etsi enim perfectio hac in vita nulla speranda: optarim tamen vos harum rerum notitia ac consideratione ita adimpleri, ut in ardentissimam dilectionem vestram erga CHRISTUM redundet.* Cæterum an citra gravem animi offensionem indocti hanc Observationem lecturi sint, qui aureo hoc dicto maioris scientiæ defectum solari consueverunt, æquo lectoris judicio expendendum relinquo.

OBSERV. XV.

Ephes. V. v. 3.

Fallor, aut Observator littus iterum hic arat, dum Lutheri versionem lima sua polire studet. Quum enim Lutherus Græca verba *μηδὲ ἰνομαζέσθω ἐν ὑμῖν* sequentem in modum reddiderit: *Lasset nicht von euch gesagt werden / Observator eadem vertere sic maluit: es werde auch nicht einmahl unter euch genennet.* Verum si Lutheri verba
C 2 pau-

paulo attentius considerasset, sine difficultate eandem
emphasin observare in illis poterat, quam tanto studio
se eruisse atque in lucem protraxisse existimat. Nonne e-
nim sensus plane idem ex Lutheri verbis emergit, si mo-
do passivum verbum cum activo, ut cum Grammaticis
loquar, commutetur, quod Observator infra ipse fecit p.
187. von Hurerey aber und allerley Unzucht oder Geitz saget
(redet) nicht. At quia Lutherus admonitionem Pauli ex-
primere studuit, ita potius vertit: Hurerey aber und aller-
ley Unreinigkeit oder Geitz lasset nicht von euch gesaget wer-
den. Certe si quis Observatorem atque ejus asseclas
ita alloqueretur: Lutheri version lasset nicht von euch ge-
saget werden / nonne idem foret sensus horum verborum,
ac si dixisset, Lutheri version tadelst nicht. Quicquid au-
tem de voce $\omega\lambda\epsilon\omicron\nu\epsilon\zeta\iota\acute{\alpha}$ ex aliorum commentariis corra-
sum est, id speciosum magis, quam verum nobis videtur,
quod illa hic atque aliis in locis etiam non tam avariti-
am, quam effrenatam libidinem significet. Erasmus sane
non modo in versione sua $\omega\lambda\epsilon\omicron\nu\epsilon\zeta\iota\acute{\alpha}\nu$ avaritiam interpre-
tatus est: sed in margine quoque Annotat: ubi Hie-
ronymi opinionem recenset, qui $\omega\lambda\epsilon\omicron\nu\epsilon\zeta\iota\acute{\alpha}\nu$ hic commo-
de stuprum converti posse arbitratus est, sententiam
suam ita exposuit: $\omega\lambda\epsilon\omicron\nu\epsilon\zeta\iota\acute{\alpha}$ torquetur ad stuprum, quod
ipsius iudicium ad comma 6. 1 Thessal. IV. omnino etiam
pertinet. Neque quisquam, multo minus Observator
mihi persuadebit, in locis p. 181. ab ipso adductis $\omega\lambda\epsilon\omicron\nu\epsilon\zeta\iota\acute{\alpha}\nu$
non per *avaritiam* reddendam esse. Infirmum enim &
ludicrum argumentum est, quo evincere vult, quod a-
varitia hic & alibi intelligi nequeat, ubi Apostolus de
intemperanti & immensa foedarum voluptatum cupidi-
tate verba prius fecerat. Quippe ex antiquis tam Græ-
cis, quam Romanis Scriptoribus satis constat, quod non
Corinthi saltem, sed Ephesi quoque, atque aliis in locis
fœminæ venalem habuerint pudicitiam, & turpem cor-
pore

pore quaestum fecerint, atque viri lenocinia faciendo rem suam augere studuerint. Hinc vitia illa enarrans Apostolus, quibus gentiles se polluebant, libidinem cum avaritia coniunxit, quas illi etiam coniungere atque unire confecerant, qui libidine tanquam instrumento avaritiae utebantur. Praeterea sicut de eo valde ambigo, quod *πλεονεξία* eam ob causam in Apostoli scriptis passim stuprum significare debeat, quia stuprum haud raro apud Prophetas idololatriam denotat: ita de hoc certo mihi constat, Apostolum *πλεονεξίαν* per *είδωλολατρίαν* descripsisse. Col. III, 5. Esto autem, Hieronymo hanc sedisse sententiam; nihil tamen huius opinio proprietati ac perspicuitati versionis Lutheri detrudere potest, in qua recte ac proprie voci *πλεονεξία* vocabulum *Geiz* respondet. Si prolixo hac de re mihi nunc esse luberet, multis atque firmissimis rationibus Observatori demonstraturus essem, non posse, nisi per avaritiam, *πλεονεξίαν* hic exponi, neque aliis etiam in locis hunc significatum exulare, si proprietatem Graeci sermonis attendere atque exprimere velimus. Neque quicquam obstat, quo minus per *πλεονέκτην* avarum Eph. V, 5. intelligamus qui

*nullo sine beatus,
Congerit opes, gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est.*

Sed cogit nos potius, ut ita sentiamus, Apostoli auctoritas, qui I. Cor. V. 10. avaris rapaces iungit: *ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, μὴ συναναμίγνυσθαι πόρνοις. Καὶ ἔπᾶντως τοῖς πόρνοις τὸ κόσμος τῆς ἡ τοῖς πλεονέκταις, ἢ ἀρπαξίν, ἢ εἰδωλολάτραις.*

OBSERV. XVI.

2. Pet. III, v. 15, 16.

Tandem ingenti saltu ex Epistola Pauli, ad Ephesi-
C 3 OS

os data, in posteriorem Petri se committit Observator, atque capitis III. duo commata 15. & 16. frequentibus iterum distingvit parenthesibus. Inprimis vero considerare iubet, 1) quod plurima Græca Exemplaria ἐν αἰς, non vero ἐν αἰς legant, quod plurimi ante ipsum docti viri jam monuerunt. Quia tamen Lutherum excusat, quod exemplar, quo usus est, ἐν αἰς habuerit, otium hic nobis fecit. 2) vocem ἀσήμελον, quam Lutherus leichtfertig reddidit, potius, unbefestiget sive ungegründet verendam esse iudicat Observator. Sed cum extra dubium hoc positum sit, quod vox germanica leichtfertig Lutheri ætate idem quod latinæ levis, velox, significaverit, ut satis apparet ex Gen. XLIX, 4. Job. XXIV, 18. ubi apud LXX. Interpretes ἐλαφρὸς occurrit, in vulgata autem versione vox levis extat, Zeph. III. 4. ubi Prophetæ פְּרִזִּים instabiles, leves dicuntur, quos Lutherus in versione sua leichtfertig appellavit: maxime vero ex 2 Cor. I. 17. ubi ἐλαφρίαν Lutherus die leichtfertigheit interpretatus est, ut jure suo ἀσήμελος hic leichtfertig etiam verterit. Et iam pridem Gerhardus in suis ad h. l. commentationibus annotavit, non absque ratione Lutherum vocem illam Germanicam hic usurpasse. Glossa enim interlinearis ἀσήμελος interpretatur *indoctos sine lumine iustitie & instabiles mente*: Lyranus *indoctos in sacris scripturis, instabiles in fide & moribus*, qualis homo Germanis una voce leichtfertig dicitur.


Illud vero aperta iniuria est, quam Lutheri versione Observator infert, quando 3) eam præter meritum ambiguitatis cujusdam arguere non erubescit, quam in his verbis latere dicit: *In welchen sind etliche dinge schwer zu verstehen / welche verwirren die Ungelehrigen und leichtfertigen.* subsequenter enim verba, quæ Observator arte non bona omisit, omnem, si qua esset, ambiguitatem tollunt: *wie auch*


auch die andern Schriften zu ihrem eigenen Verdammniß. Nam ex his clare agnoscitur, quod die Ungelehrigen und Leichtfertigen in nominandi casu hic adducantur, qui sibi ipsis, epistolas Pauli & cæteras scripturas pervertendo & in vanum sensum eas detorquendo perniciem accersunt ac promerentur, quia Petrus in præcedentibus proxime verbis Epistolas Pauli laudaverat, ut proinde verba zu ihrem eigenen Verdammniß non ad nomen Schriften sed die Ungelehrigen und Leichtfertigen pertineant. Non possum denique, quin iudicium hic repetam viri Clarissimi, Johannis Sturmii, quod de Lutheri versione in epistola quadam ad Philippum Comitem Lippianum tulit: *Si religionis restitutio non esset, si nulla conciones Lutheri exstitissent, si nihil scripsisset aliud, quæ in V. & N. T. translata divulgavit, tamen summa & perpetua in hoc labore deberet extare gloria. Si enim huius Germanicæ translationi cætera Græcorum, Latinorum aliorumque comparentur, cedere coguntur perspicuitate, puritate, proprietate, similitudine Hebraicæ originis. Credo, ut Apellem nemo legitur pictorum superasse, ita nec Scriptorum quidem quisquam Lutheri versionem poterit vincere. Svaderem itaque Observatori, nisi jam aliter ipsi persuasum est, ne levibus & jejunis eiusmodi Observationibus famam & nomen suum ulterius prostitueret, atque Lutherum tandem castigare desineret. Nam quas ex aliorum scholiis describit Observationes, illæ reliquarum tenore altiores ac sublimiores videntur: Quæ vero in ipsius cerebro gignuntur, Minervam plane non referunt, sed infra expectationem ac utriusque muneris, quo fungitur, decus ac dignitatem constitutæ sunt. Hinc ex neutra parte laus ipsum aliqua manebit, neque hæc omnibus bonis viris atque ingenuis Lutheri affectis merito invisa opera præclarum ipsi conciliabit nomen: Sed illum*

*ut calcæus olim,
Si pede maior erit, subvertet, si minor, uret.*

Tan-

Tandem nactus sum quoque Mensē JULIUM Ob-
servatoris, in quo impudenti iterum ausu Celeberrimi
DN. Daffovii Scholas exscribere continuavit, atque præ-
terea *Anonymi* cujusdam fragmenta laciniis suis assuere
voluit, qui alteram ejus defensionem suscepit, sed non
meliori successu, quam prior ille calumniator, nisi quod
paulo mitiori stylo usus est. Quia vero cum ejusmo-
di larvis atque lucifugis negotii quicquam habere nolo,
ipsi propediem respondebo Observatori, atque callidas
eius artes detegam, quibus adversus Dissertationes meas
usus est, ut imperitis persuaderet, se iustam tueri cau-
sam, nec Lutheri auctoritatem atque honorem oppu-
gnasse. Interim hortor Observatorem, ut æquo ferat
animo, quod summi Theologiæ Doctores peculiarem
operam Observationibus ipsius confutandis non impen-
dant, quippe qui gravioribus negotiis implicantur, quam
ut ieiunas eiusmodi Observationes lectione dignentur,
nedum ut illas confutare velint. Sufficiebat ipsis, Theo-
logiæ studiosos monuisse, ne tempus in perlegendis hi-
sce Observationibus frustra tererent, in quibus nihil, nisi
quod ex aliorum libris haustum est, observatu dignum
occurrit. Reliqua partim in Lutheri gloriam
iniquam, partim incongruam & intem-
pestivam crisin continent.





Da. 952. 0

Da 952

ULB Halle 3
003 751 120




TA → OL

nur BC Biskop
angehängt

10/17 MC





37

DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM,
in qua
OBSERVATIONES BIBLICÆ,

*Mense FEBRUARIO emissæ, modeste
sub examen vocantur,*

Et D. LUTHERI Versio defenditur,

PRO LOCO,

In Amplissima Facultate Philosophica

*benevole sibi concesso,
solenni eruditorum disquisitioni subiicit*

PRÆSES

M. JO. HENRICUS Gnohlach /
WITTEBERGA-SAXO, *al.*

RESPONDENTE

M. JO. CHRISTIANO Gundermann /
BUDISS. LUSAT.

D. XXI. Novembr. Anno M DC XCV.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,
Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

